



DISSERTATIO IN AVGVRALIS
PHILOSOPHICO - CRITICA

DE

ARGVMENTIS INDIRECTIS
PRO VERITATE
IDEALISMI CRITICI



QVAM

PRO OPTINENDO DOCTORIS
IN PHILOSOPHIA GRADV

PUBLICE DEFENDET

I. G. PEVCKER,

SVIDNICIO - SILESIUS.

HALAE,

TYPIIS HENDELIANIS,

M D C C X C.



Univ. Bibl.
München

V I R O

HVMANISSIMO, SPECTATISSIMOQVE

TVTORI MAXIME COLENDΟ

D O M I N O

CHRIST. GOTTL. HANCKIO,

Q V I

CVRA SVA IN ME COLLATA PATRIS

NOMEN LONGE MERITVS EST,

H O C S P E C I M E N

P I E

B. D. D.

A V T O B

VIRGO

HUMILIAZIONE SPETTATISSIMA

TUTTO LA VITRA COLENDI

DOMINO.

CHRIST. QUIT. HANCKIO.

CARD. ZAVIA IN AM COTRATA PATRIIS

MICENI DONGE MERITA DEO.

IND. S. P. E. I. M. E. N.

Z. T. 3

10. 10. 10.

10. 10. 10.

§. I.

Inter omnes constat, iamque a philosophiae incunabilis axiomatis instar pollet, omnem nostram cognitionem, quoad tempus, ab experientia initium capeſſere. Facultas enim, quae nobis inest, cognitiones adipiscendi, licet eius interna possibilis plane nobis lateat, quoniam, quod ex ſequentibus elucebit, noſmet ipſos ſaltim ut phaenomena, minime vero tanquam noumena, ſive obiecta tranſcendentalia appercipimus, respectu effectuum ac modorum ſuorum diuisionem in paſſiuam et actiuam admittit.

§. 2.

Paſſiuā, qua nobis dantur obiecta, eſt **ſenſualitas**, ſive intuendi facultas, qua rerum, quae nos immediate afficiunt, imagines, ut ita dicam, nihilo alio interueniente, efformamus. Effectus obiecti cuiusdam in ſensualitate dicitur ſensatio; et repraesentatio, quae ab immediata obiecti pendet praefentia, nec non

ad rem sensibus obuiam immediate refertur, et sensationem sequitur, *intuitus*. Quod si intuitus quidam sensu strictissimo ad id respicit, quod sensualitatis ope apperceptum est, nominatur *empiricus*, si è contrario nihil reprehendatur in eo, quod ad sensualitatem pertineat, *purus* appellandus est.

§. 3.

Altera et quidem *activa* facultas cognoscendi, quae in visorum, intuitorum et sensualitate perceptorum ordinatione, combinatione et comparatione versatur, dicitur *intellectus*. Ex his duabus coniunctis facultatibus, quae quidem, si ad vires functionesque earum respicis, facilime separari possunt, licet respectu methodi generalis, cognitiones acquirendi, et relationis, quae iis inter se conuenit, transcendentalis, non nisi unicum cognitionis fontem efficiant, cognitio gignitur. Intuitus enim, sublatis conceptibus, quorum medio intellectus materiam cognitionis a sensualitate perceptam, sibique traditam per functiones synthesis et iudicandi ordinat, inanes forent, et quasi caeci, sit venia verbo, quoniam comparatio,

ratio, combinatio, et subsumtio variï cuius-dam apprehensi facultatem quandam requirunt actiuam, qua sensualitas plane est destituta. Sed etiam conceptus, quibus intellectus gaudet, quibusque interuenientibus sensualitate apprehensa cogitat, sine intuitibus, h. e. sine materia euaderent vacui; nulla igitur datur cognitio nisi quae ex coniunctione sensualitatis et intellectus ambarumque functionum exoritur.

§. 4.

Quibus praemissis duo in quavis cognitione porro sunt distinguenda, *repraesentatum* scilicet et ipsa *repraesentatio*. Illud enim, quod extra subiectum, cui repraesentatio inest, subsistit, dicitur obiectum repraesentatum, siue *materia* cognitionis; modus autem siue ordo, quo sensibus obuia intuemur et cogitamus, cognitionis *formam* enunciat. De materia hic non est, quod verba faciamus, omnes enim repraesentationes immediate perceptae omnino quadam re extra subiectum existente nituntur; Quod vero attinet formam, absque omni dubio est, eam quoad tempus omni ma-

teria priorem in subiecto datam esse debere, quaevis enim facultas quibusdam principiis, quae possibiliterem ipsius facultatis internam efficiunt, fundata est.

§. 5.

Sensualitatem seu facultatem passiuam, repraesentationes immediatas rerum, quae eam afficiunt, percipiendi, cuidam formam quoque subiectam esse, ex antecedentibus sequitur, quae quidem forma sensibus perceptibilis esse nequit, attamen iam ante omnem sensus modificationem in eius natura a priori latet et data est. Cum vero haec forma summa continet omnium immediatarum repraesentationum seu impressionum conditionem, ita ut non nisi in et secundum hanc formam evenire possint, cogitur, eam quoque in omnibus intuitibus nostris esse versaturam atque reperiundam.

§. 6.

Attamen nota exoritur distinctio inter ipsas repraesentationes immediatas, sive impressio-

pressiones, quibus gaudet sensualitas. Sunt enim vel intuitus rerum in spatio empirico extra nos distributarum atque conspicuarum, vel representationes status conditionis que ipsius nostrae mentis. Omnia enim, quibus circumdamur, quae sensu externo apprehendimus, non nisi in spatio appercipimus; **Spatium** ergo formam sensus nostri externi, seu possibilitatem continebit, obiecta extra nos et extra se inuicem conspicua qua talia animadvertiscendi. Nam **extra** nos aliquid esse contendimus, quod in alio loco, h. e. in spatiis parte ab ea, quam nos occupamus, diuersa intuemur. Quoad sensum internum, omnes mentis nostrae modificationes, quorum medio nostrim et ipsius concii euadimus, vel tanquam simultaneae vel in successione apparent. Ast vero illud, cui ratio inest, ex qua seriem successiorum et praesentiam simultaneam apprehendere possumus non est nisi tempus; **Tempus** inde eodem iure pro supra forma conditione sensus interni habendum est, quo spatum externi forma efficiebatur. Nam **simul** nobis id est, quod uno eodemque tempore existit, et **succedere** dicitur diuerso adest tempore. Sed quoniam omnes intuitus sen-

sus externi cum conscientia nostrimetipsius coniuncti, qua repraesentationes internum subiecti modificant statum, et in hac relatione vel in successione, vel non repraesentantur, tempus quoque ea, quae per sensum externum apparent, conditioni adstringere formaliter non est, quod quis dubitet.

§. 7.

Ast permulta de eo quid sit statuendum de tempore et spatio, existiterunt opiniones atque sententiae, et nouissimis temporibus cum illustrissimus Kantius lucem in hunc locum protulit multis insuetam, non pauci fuerunt, qui ut sententiam eius de amborum idealitate transcendentali infringerent, operam dederunt, ita ut non exigui videatur momenti, hoc de loco paululum profusus disserendi.

§. 8.

Priusquam hanc ingrediar disquisitionem, est memorabile dictu, quod in nobis notitiae quaedam reperiantur ob omni sensuum impressione

pressione independentes et vacuae, quae quoque ob hanc eminentiam a *priori* datae nominantur, nec non empiricis, quas experientiae debemus, et quae nomen notitiarum a *posteriori* praese ferunt, opponuntur. Quod harum cognitionum a priori attinet notas characteristicas, facilime ex necessitate et vniuersalitate, quae ipsis solis annexae sunt, agnoscuntur, quas experientia quidem aspirare, nullo autem modo assequi potest. Quibus praemissis quaestio de spatii et temporis origine vel pura vel empirica omni dubitatione caret. Cum enim ambobus non solum necessitas sed etiam vniuersalitas inhaereant summa, ita ut nullam rem animo repraesentare possimus a conditionibus spatii et temporis liberam, sequitur, ab experientia minime ea esse producta. Haec quoque est ratio, quod spatium et tempus omnibus rerum repraesentationibus, vel simul, vel in successione extra nos datarum praeeant, quod omnes res ex tempore et spatio absque difficultate tollere, temporis vero et spatii ipsius repraesentationes nullo modo delere possimus, quod denique omnia axiomata quae ad spatium tempusue respiciunt, tanta euidentia, virtute et certitudine gaudeant.

§. 9.

Attamen quis forsan crederet, temporis spatiique notiones a rebus obiectis abstractas, ideoque conceptibus vniuersalibus esse annumerandas, qui quidem longe aberraret a scopo. Quius enim conceptus vniuersalis atque abstractus semper in vnoquoque eorum obiectorum, a quibus fuit abstractus, totus reperiundus est. Ast notionum de spatio nec non tempore, plane alia est conditio. Omnis quidem diuersa tempora et spatia possunt cogitari, sed non tanquam Tota numerice diversa, sed saltim ut partes vnius eiusdemque temporis et spatii. Spatium enim pariterque tempus infinitas quantitates enunciant, ita ut quodvis empiricum tempus vel spatium non nisi limitatione vnius spatii et vnius temporis cogitare possit. Omnia denique axiomata, et omnes propositiones, quae ad tempus et spatium respiciunt, ad syntheticas pertinent, quae nunquam solis conceptibus, ex quibus non nisi analyticae euoluuntur propositiones, ex natura sua niti possunt. Cum itaque spatium et tempus neque empirici neque vniuersales conceptus sint, non nisi intuitus puri a priori, iam ante omnem experientiam, sensualitatem

tatem conditioni formalis adstringentes esse possunt.

§. 10.

Cuilibet formae saltim subjectiva inhaeret veritas atque realitas, ergo etiam spatio et tempori. Quod si ergo facultatem passivam, a rebus objectis immediate affici, cogitando extinguis, nullum datur tempus, nec ullum spatium. Rebus ipsis transcendentalibus ex eodem argumento nulla spatii temporisue inhaeret ratio, nec ullum est dubium, quin, si alia intuendi facultate essemus induiti, seu nostra sensualitas aliis formis conditioni foret adstricta, etiam objecta, quae sub nouos caderent sensus, neque extra nos et extra se inuicem, neque simul neque in successione conspicua forent. —

Haec de sensualitate.

§. 11.

Intellectus seu alter cognitionis fons atque facultas et quidem activa non in intuendo, sed in cogitando et iudicando versatur, et

ut quaevis facultas formis quibusdam nititur, quae *functiones* sensu eminentiori audiunt. Functio autem illam intellectus designat actionem, qua varium quoddam a sensibus perceptum synthetice combinatur, coordinatur, ac notioni cuidam vniuersali subiicitur. Quod cum sit iudicando, tot erunt notiones purae sive cathegoriae, quibus omnes conceptus sunt subiiciendi, quot loci seu iudiciorum formae dantur, si non nisi unitatem functionis spectas, quae in iudiciis per formam eorum solam exprimitur.

§. 12.

Omnia iudicia, si, materia, quam continent, sublata, solam eorum formam in animo habes, vel quantitatem, vel qualitatem, vel relationem, vel denique modalitatem attингunt. Iudicia quantitatis generalia particularia et singularia continent; iudicia qualitatis sunt vel affirmantia, vel negantia, vel limitantia; ad iudicia relationis pertinent cathegorica, hypothetica et disiunctiva iudicia, et iudicia modalitatis in problematica assertoria et apodictica diuiduntur.

§. 13.

§. 13.

Quibus duodecim iudicandi modis, ex sola eorum forma enumeratis totidem conceptus primarii seu notiones originariae respondent, quae nullo modo materiam sed solam iudiciorum formas attingunt, et non nisi unitatem actionum enunciant intellectualium, quae itaque in forma intellectus ipsa fundatae sunt, omnemque praecedunt experientiam. Hae notiones a priori, categoriae, sive predicamenta, sunt: Omne, Plus, Unum, Realitas, Negatio, Limitatio, Substantia, Causa, Commercium, Possibilitas, Existentia, Necessitas. Unaquaeque notio cuidam iudicandi formae respondet, unitatemque functionis indicat, sed quoniam in iudiciorum forma ab omni abstrahitur materia, necesse est, ut categoriae quoque omni careant materia, itaque sint vacuae, si eas quales a se et per se in intellectu existunt, consideras, cum autem intellectus varium quoddam sensibus perceptum semper uni trium notionum cuiusvis loci Quantitatis Qualitatis Relationis et Modalitatis accommodet et subiiciat et hac functione de illo vario indicet, categoriis quoque obiectiva competit in quodam sensu realitas.

§. 14.

§. 14.

Iam supra commemorauiimus, non nisi ex coniunctis et intuendi et iudicandi facultatibus gigni cognitionem. Intellectus receptivitate, a rebus affici obiectis, plane est destitutus, eique saltim insunt notiones originariae, quas non rapsodistice sed ex principio quodam, nempe ex ipsa intellectus functione enumerauiimus formali, sequitur inde, nullam mentis notionem nisi per intuitum, ad res, quae cognitionis praebent materiam, relationem habere posse. Pura enim notio in se ipsa spectata in sola iudicandi forma versatur, et sensualitas intellectui materiam offert, ad quam formales suas notiones referre possit. Quicquid ergo obiectum cognitionis esse aut fieri debet, non modo, ut in spatio et tempore appareat, sed etiam ut ei necessario competit vna trium notionum ex omnibus earum quatuor titulis, cogitur.

§. 15.

Attamen noua exoritur quaestio: qui fiat, ut intuitus, qui sensibus inhaerent, notioribus quae a priori intellectus formam efficiunt,

ciunt, subiici possint, cum notiones virtute et eminentia gaudeant, quam intuitus nullo modo assequi valeant? — Temptis solum hanc subsumptionem possibilem reddit, pertinet enim ad sensualitatem, ac si ad hoc respicias quod omnia, quae sub sensus cadunt, vel ut successiva vel ut simultanea appareant, omnes intuitus conditioni formalis adstringit tempus; cum autem ex eadem ratione temporis inhaeret necessitas atque universalitas, ita ut omnia, quae sunt, et sequuntur, in tempore esse aequi, cogitari debeant, temporis quoque cum notionibus quoddam commune est. Nulla igitur datur comparatio et complexio intuituum et notionum nisi temporis medio.

§. 16.

Cum, quod ex iis, quae adduximus, sati perspicuum est, intellectus a se ipso cognitiones adipisci nequeat, quoniam plane omni receptiuitate est destitutus, res obiectas immediate animaduertendi, et nullo modo notionibus suis ex quibusdam regulis uti possit, nisi materia quaedam sensibus percepta illi sit tradita, sequitur, omnes notiones suas non nisi

nisi ad ea referendas esse, quae sensibus sunt obvia atque subiecta, nullamque categoriis inesse obiectuam realitatem.

§. 17.

Quibus expositis quis est, qui dubitet, omnes nostras cognitiones de mundo non nisi relatiuas euadere? Cuilibet repraesentationi quoddam sane inest obiectum verum, cum omnia, quae nobis apparent, suis nitantur substratis, et minime pro meritis illusionis productis sint aestimanda; attamen quoniam fontes et facultates cognitionis nostrae formis subiectuius restrictae sint, sequitur, praedicatis, quae obiectis cognitis in relatione ad illas formas tribuimus, non nisi subiectuam veritatem esse concedendam, et mundum transcendentalem, qualis à se et per se existit, nullo modo a nobis posse aut percipi aut cognosci.

§. 18.

Hoc in loco fundamentum Idealissimi critici siue formalis versatur. Omnes enim res, quae sub sensu cadunt nostros, formalibus fa-

facultatis nostrae intuendi conditionibus modificantur. Cum ergo tempus et spatium, quae sensualitatis formam efficiunt, sicutim subjectivam inuoluant realitatem, omnia effata de spatio et tempore, quibus res obiectae determinantur, de his ipsis rebus valent non sicutia se et per se existunt, sed in relatione ad nos, h. e. de phaenomenis, quae in intuitione data secundum sensuum formales conditiones apprehensa sunt. Intellectui autem, ut iam antea docuimus, nulla competit passiva facultas, immediatas rerum repraesentationes formandi, h. e. intuendi, et quod maioris adhuc momenti est, nec non illi formae insunt, quae suam ipsam continent internam possibilitatem, et qua tales obiectuam excludunt realitatem, ita ut neque per sensus, neque per intellectum vera obiectua cognitio de rebus obiectis nobis concessa sit.

§. II 19.

Distinctio illa inter phaenomena et ea, quibus nituntur, siue noumena, minime arbitraria, sed in natura et forma facultatis nostrae cognoscendi bene fundata est. Verum qui-

quidem est, quod in vsu loquendi vulgari phae-nomena instar noumenow nobis valeant, et quod rebus, quae ab unoquoque homine, sensualitate et intellectu sano instructo, eodem modo iisdemque apprehenduntur modificatio-nibus, realitatem tribuamus obiectuam, quod quidem non impedit, quo minus in disquisitio-ne critica totius humanae cognoscendi facul-tatis fines sensus communis transgrediamur, et etiam id, quod illi sensu eminentissimo verum videtur, e sphaera veritatis exterminemus transcendentalis.

§. 20.

Idealismus criticus, cui fundamento illud est discrimen inter phaenomena et noumena, illaque assertio: nihil obiectum cognitionis nostrae euenire posse, nisi quod sensibus ob-vium, secundum horum formas apperceptum intellectui traditum est, bene ab Idealismo formali est distinguendus qui plane omnem negat materiam. Affirmat enim Idealista for-malis, omnino dari mundum materialem, et repraesentationibus respondere quoddam rea-le, sed cognitionem de eo nostram transcen-

dentalem esse, concedere recusat, quoniam materia cognitionis partim in facultate intuendi, partim in intellectu per amborum formales mutatur et modificatur conditiones.

§. 21.

Quibus omnibus bene fundatis, Idealismus criticus, vt breuibus omnia repetam, his praecipue versatur propositionibus :

- 1) Spatium et tempus formales conditiones facultatis, quae nobis inest, intuendi, siue immediatas rerum obiectarum representationes capiendi, continent.
- 2) Intellectus facultatem actiuam enunciat, qua cognitionis materia, sensibus apprehensa cogitando secundum quaedam principia formalia ordinantur, et notionibus subiiciuntur pariter formalibus.
- 3) Quidquid ergo obiectum cognitionis nostrae fit aut fieri debet, vt formis cognitionis nostrae accommodatum cogitetur, necesse est.
- 4) Neque per sensus neque per intellectum res, quae in mundo continentur, ita ap-

percipiuntur, sicuti extra nos à se et per se existunt, sed uti nobis apparent.

5) Omnis itaque cognitio nostra non nisi phaenomena attingit, trānscendentalia vero substrata, quibus nituntur phaenomena, neque sub sensus cadunt, neque ab intellectu cognoscuntur.

6) Sensualitas et intellectus vni cognitionis nostrae sunt fontes. Ratio enim non est, nisi subalterna mentis facultas, quae ad absolutum, cui summa inest conditionatarum cognitionum seriei conditio, inuestigandum ex quadam formali necessitate et regula dirigitur.

7) Omne ergo id, quod nunquam sub sensus cadit nostros aut secundum cognitionis nostrae formas cogitari nequit, a nobis nullo modo cognosci potest.

§. 22.

Quod si quis, his omnibus explanatis, de veritate formalis Idealisini adhuc dubitet, noua argumenta quaedam et quidem indirecta adducturi sumus, ex quibus cuilibet recte con-

contemplanti magis perspicue elucebit, nullam aliam rationem esse ineundam, si et Spinozae Unum et Omne, nec non Bercelaji magica regna, denique Humii barathrum scepticum aequè caute tutèque euitare velis. Hae enim tria systemata, licet communem sensum maxime offendant, omnemque veritatem firmitatemque humanae cognitionis plane destruant, non nisi ex neglecto Idealismo critico originem duxerint, atque ex eadem ratione omnipotenti illudebant refutationem. Hodie vero diebus cum ingeniosissimus Kantius nouam quasi scientiam anatomisticam philosophiae inseruerit; cui tota cognoscendi facultas subjicienda est, etiam haec loca in philosophia quondam reprobatisima maximeque detestata terrores amisere suos nec non illusiones, ita ut eorum labyrinthos critica face illustratos securè adire possis.

§. 23.

Diximus, Idealimum criticum solum efficere, ut tria illa Spinozae, Bercelaji et Humii Systemata refutare queas, ad quod probandum plura nobis hoc de loco verba

funt facienda. Ast necesse videtur, cuiusuis
enumerandi doctrinae momenta primaria, quo
magis appareat illa virtus, quam critico tri-
buimus Idealismo.

§. 24.

Primum quod Spinozismum attinet, se-
quentibus nititur principiis :

I. Omnia, quae sunt, vel in se, vel in alio
sunt.

II. Id, quod per aliud non potest concipi,
per se concipi debet.

III. Ex data causa determinata necessario
sequitur effectus, et contrà, si nulla de-
tur determinata causa, impossibile est,
ut effectus sequatur.

IV. Effectus cognitionis à cognitionis causa
dependet et eandem inuoluit.

V. Quae nihil commune cum se inuicem
habent, etiam per se inuicem intelligi
non possunt, siue conceptus vnius alte-
rius conceptum non inuoluit.


VI. Idea vera debet cum suo idcato eonvenire.

VII. Quidquid vt non existens potest concipi, eius essentia non inuoluit existentiam.

His principiis Spinozismi continentur axioma-
ta, e quibus sequentes deriuatae sunt propo-
sitiones:

- 1)** Ex nihilo nihilum fieri potest.
- 2)** Omne ergo, quod fit, et mutatur, ali-
quid existens, non ortum et immutabile
requirit, quo nititur.
- 3)** Mutabile vero etiam ortum esse nequit,
sed semper perdurabili inhaesit, alias
enim origo daretur ex nihilo.
- 4)** Semper ita mutabile cum perdurabili,
finitum cum infinito adfuit.
- 5)** Ex antecedenti sequitur, finitum non
extra infinitum esse, quod si enim hoc
statuis", finitum aliquid à se et per se
existens, aut à perdurabili ex nihilo foret
procreatuum.

- 6) Si ergo finitum continetur infinito, complexum omnium entium finitorum, qualis in unoquoque minutissimo temporis spatio omnia quae aderant, et sunt, et erunt, continet, unum idemque cum ente infinito esse, sequitur.
- 7) Qui vero complexus non Compositum est ex entibus finitis, sed Totum sensu eminentiori enunciat, cuius partes non nisi in Toto et post Totum possunt et esse et cogitari.
- 8) Quod in ente quoad naturam prius adest, non quoque est, si ad tempus respicis. Expansio quoad naturam omnibus modis, existendi in spatio, praedit, sed quoad tempus non prior, quam determinata quaedam modificatio existentiae in spatio data est. Pari modo ut cogitatio ex sua natura maior natu representatione quadam cogitetur, necesse est, verum quoad tempus cogitatio non nisi in et cum hac vel illa representatione ad existentiam peruenire potest.
- 9) Ens originarum, omnipraesens, perdurable et infinitum, cui omnia alia, quae sunt,



sunt, inherenter, est substantia, nec non dicitur Deus.

10) Deus non nisi impropriè unus et unicūs vocandus est, quatenus scilicet eum ab aliis entibus separamus et eiusdem naturae plures esse non posse concipi-mus. Nulla enim res sensu strictissimo una nominanda est, nisi alia res concepta fuit, quae cum illa conuenit; Quoniam vero existentia Dei ipsa ipsius est essentia, deque eius essentia uniuersalem non possimus formare ideam, ortum est, Deum vel unum vel unicum sensu strictiori nuncupari non posse.

11) Determinatio est negatio, seu determinatio ad rem iuxta suum esse non pertinet; omnia ergo finita, quae quodam modo sunt determinata, ut negationes nuncupes, cogeris. Ens unum non determinatum et infinitum solum realitate gaudet, est omne esse, praeter quod nullum datur esse.

12) Deus, siue substantia constans infinitis attributis, quorum vnuinquodque aeter-

nam et infinitam exprimit essentiam, necessario existit.

I3) Haec attributa Dei audiuntur: Extensio et cogitatio infinita, ita ut idem sit, quoniam attributo Deum designare velis. Ordo enim et connexio idearum idem est ac ordo et connexio rerum, et quicquid ex Dei natura formaliter sequitur, etiam obiectus ei conuenire debet.

I4) Infinita cogitatio absoluta sicut natu-
rae inhaeret naturanti, et infinitum intel-
lectum voluntatemque, siue attributa
naturae naturatae continet. Per **natu-**
ram naturantem nobis intelligendum est
id, quod in se est, et per se concipitur,
siue ea substantiae attributa, quae aeter-
nam et infinitam essentiam exprimunt,
hoc est, Deus, quatenus ut causa libera
consideratur. Per **naturatam naturam**
autem omne id designatur, quod ex ne-
cessitate Dei naturae siue vniuscuiusque
Dei attributorum sequitur, hoc est,
omnes diuinorum attributorum modi,
quoten considerantur ut res, quae in

Deo sunt, et quae sine Deo nec esse nec concipi possant.

15) Naturae naturanti, siue Deo, si eum omnibus affectionibus depositis in se tamquam liberam omnium rerum causam consideras, nec voluntas nec intellectus conuenit. Per intellectum enim non intelligimus absolutam cogitationem, sed certum tantum cogitandi modum, qui modus ab aliis, scilicet cupiditate, amore etc. differt, adeoque per absolutam cogitationem concipi debet, ut sine hac nec esse nec concipi possit, atque ex hac ratione ut etiam reliqui attributorum divinorum modi ad naturam naturatam, non vero naturantem referri debet.

Quod si ergo ad Dei essentiam intellectus nec voluntas pertinent, aliud iam per vtrumque attributum intelligendum est, quam quod vulgo solent homines. Nam intellectus et voluntas qui Dei essentiam constituerent, à nostro intellectu et voluntate toto coelo differre deberent, nec in illa re praeterquam in

nomine conuenire possunt. Si intellectus naturae inhaeret diuinae, non poterit, ut noster intellectus posterior vel simul natura esse cum rebus intellectis, quandoquidem Deus omnibus rebus prior est causalitate, sed contra veritas et forma rerum ideo talis est, quia talis in Dei intellectu existit. Quare Dei intellectus, quatenus Dei essentiam constituere concipitur, est reuera rerum causa tam earum essentiae quam earum existentiae, ideoque ipse ab iisdem tam ratione essentiae quam existentiae ratione differre debet. Nam causatum differt a sua causa praecise in eo, quod a causa habet. Circa voluntatem eodem modo proceditur, ut facile vnicuique perspicuum erit.

16) Deus ex solis suae naturae legibus, et a nemine coactus agit. Ex sola enim diuinae naturae necessitate, vel, quod idem est, ex solis eiusdem naturae legibus absolute sequitur, nihil sine Deo esse nec concipi posse, sed omnia contra in Deo esse. Quare nihil extra ipsum esse potest a quo ad agendum determinetur

vel

vel cogatur, atque adeo Deus ex solis naturae suae legibus et a nemine coactus agit.

17). Deus est omnium rerum causa immanens, non vero transiens. Omnia enim, quae sunt, in Deo sunt, et per Deum concipi debent; praeter Deum nulla datur neque concipi potest substantia. Modi autem sine substantia nec esse nec cogitari possunt; atqui praeter substantias earumque modos nil datur, ergo nihil sine Deo esse et concipi potest, Deus omnium rerum est causa immanens, —

18) Deus siue attributa diuina aeterna sunt. Deus enim est substantia, quae necessario existit, hoc est, ad cuius naturam pertinet existere, siue, quod idem est, ex cuius natura sequitur ipsa existentia, adeoque est aeternus. Deinde per Dei attributa intelligendum est id, quod diuinae substantiae exprimit essentiam, hoc est, quod ad substantiam pertinet, id ipsum ipsa attributa inuoluere debent, atqui

atqui ad naturam substantiae pertinet aeternitas, ergo vnumquodque attributorum aeternitatem inuoluere debet, adeoque omnia sunt aeterna.

19) In rerum natura nullum datur contingens, sed omnia ex necessitate diuinae naturae determinata sunt ad certo modo existendum et operandum. Quicquid enim est, in Deo est, qui res contingens dici non potest, sed necessario existit; Modi deinde diuinae naturae ex eadem ipsa etiam non contingenter, sed necessario sequuntur, idque, vel quatenus diuina natura absolute, vel quatenus certo modo ad agendum determinata consideratur.

Porro horum modorum Deus non tantum est causa, quatenus simpliciter existunt, sed etiam, quatenus ad aliquid operandum determinati considerantur. Quod si a Deo determinati non sint, impossibile, non vero contingens est, vt se ipsum indeterminatos reddant; Quare omnia ex necessitate diuinae naturae determin.

terminata sunt, non tantum ad existendum, sed etiam ad certo modo existendum et operandum, nullumque datur contingens.

20) Res-nullo alio modo, neque alio ordine a Deo produci potuerunt, quam productae sunt. Omnes enim res ex data Dei natura necessario secutae et ex necessitate eiusdem naturae diuinae determinatae sunt ad certo modo existendum et operandum. Si itaque res alterius naturae potuissent esse, vel alio modo ad operandum determinari, alias naturae ordo eveniret, ergo et Dei natura alia posset esse, quam iam est, ac proinde, illa etiam existere deberet, quoniam existentia ipsi essentiae Dei inhaeret, et consequenter duo vel plures possent dari. Dii quod absurdum est. —

§. 25.

Haec de Spinozae systemate. Quod enim suam de finito intellectu attinet doctrinam, hoc in loco silentio praeterire possumus.

Omni-

Omnibus bene perspectis, totum sistema axiomatice illo: Nihilum ex nihilo produci, nihilum in nihilum posse reuerti, nisi atque in eo versari, manifestum est; quam ob causam etiam omnibus, qui eius tentauere refutationem, invincibile vitum est. Existere enim per multi, exempli gratia, Fenelon, Lami, Comes a Boulainvilliers, Jak Orobious, Poiret aliique contra Spinozam, ast, quoniam in principia eius dabant, etiam earum, quae ex illis sequebantur, propositionum consequentiam internam negare non poterant.

§. 26.

Idealismus criticus siue formalis sophismata illusoria solus reuelat, quae Spinozismo continentur. Quod si enim capita bene perpendas, quibus nititur Spinozismus, facillime illusiones dialecticas, quibus ipse falliebatur Spinoza, animaduertes. Semper enim:

- 1) Phanomena confunduntur cum noumenis.
- 2) Spatiu[m] non subiectiuam formam facilitatis nostrae intuendi valet, cui res non nisi

nisi in relatione ad subiectum, cui apparet, sunt subiectae, sed pro conditione transcendentali, cui et substrata phaenomenorum adstricta sunt, habetur.

3) Principia intellectus nostri quoque ad *ovt̄as ov̄t̄as* referuntur, licet, ut supra monitum est, saltim phaenomena attингant. Dantur enim, ut vidimus, notiones quaedam formales a priori in animo nostro, a se prorsus vacuae, parique modo quaedam principia illis notionibus correspondentia, quae regulas enunciant, secundum quas varium quoddam sensibus obuium necessario subiiciendum est. At quoniam haec principia, pariterque haec notiones ob eam saltim finem intellectui insunt, ut experientia possibilis fiat, Intellectus vero facultate intuendi, seu immediatas rerum obiectarum formandi representationes plane destitutus est, ita ut omni careat materia, ad quam possit notiones suas illis principiis formalibus conuenienter referre, si illam excipis, quam sensualitati debet; Ergo usum ha-

rum

rum principiorum ad phaenomena esse
restringendum, patet.

§. 27.

Quibus praemissis nullum est dubium,
principium causalitatis de omnibus rebus sine
exceptione valere, quatenus nobis apparent,
minime vero de his ipsis rebus sensu transcen-
dentali, hoc est, de noumenis, quae indepen-
denter a formis cognitionis nostrae subiectiuis
per se existunt. Quod si enim ad haec respi-
cis, non solum problematicum est, vtrum sub-
strata phaenomenorum quoque eidem ordini,
in quo sensibus percepta apparent, subiecta
sint, annon? sed etiam intellectus, qui, nullis
vehiculis sensoriis interuenientibus, ipse passi-
va esset instructus facultate, immediate appre-
hendendi, quae illi obvia eueniant, nobis pro-
blema est.

Est itaque sophisma figurae dictionis, si
Spinoza, transcendentali illa critica distinctio-
ne inter Phaenomena atque Noumena plane
neglecta sibi persuasum habebat, omne id,
quod phaenomenis conueniat, etiam valere de

eorum substratis transcendentalibus. Verum enim est, si mundum phaenomenon in animo habes, hunc mundum causam quandam supponere, cui ratio inest, quod mundus detur, nam inest nobis summa necessitas formalis, omnia quae fiunt et existunt legi causalitatis subiiciendi; Quod si vero sermo non est de mundo phaenomeno, sed si mundum noumenon in animo habes, non nisi ignoratiam nostram confiteri possumus. Tum enim plane novus exoritur ordo, nouaeque rerum relationes; mundus et omnia, quae in eo sunt contenta, cognitioni nostrae subducuntur, et ex regno veritatis, scilicet illo, quod adire nobis concessum est expulsi, in regiones ideales ejectos nosmet ipsos videmus, quae in relatione ad nos omnibus prorsus obiectis carent.

§. 28.

Aliud Sophisma, quo Spinozismus nititur, sententia sua de spatio adoptata occluditur. Cum enim Spinoza phaenomena atque noumena eadem esse crederet, ut quoque spatio non solum subiectiuam, sed et obiectiuam concederet realitatem, necessario cogebatur.

Spatium summam ita conditionem essentiae ipsius materiae sensu strictissimo valere, sibi persuasum habebat, ita ut et Dei essentiam eius conditioni adstringeret, quod quidem ex iis quae prima parte huius speciminis de spatio effata sunt, argumento nititur prorsus falso. Cum enim spatio subiectua inhaeret realitas, omnino sequitur, quod omnes res, quae sub sensu cadunt, spatii conditioni adstrictae et in eo modificatae appareant, attamen si sensibilitatem cogitando tollis, et noumena, minime autem phaenomena in animo habes, spatiū omni destituitur realitate et transcendentale Nihilum fit. Sublato enim subiecto etiam quod subiecto inhaeret, simul tollitur.

§. 29.

Spinozismus itaque indirectum pro veritate Idealismi critici probanda porrigit argumentum. Quod si enim discrimen illud transcendentale inter phaenomena atque noumena negligis, omnino ut leges notionesque formales intellectui nostrae a priori insitae etiam de rebus ipsis, qua talibus, valeant, spatioque non solum subiectua, sed quoque obiectua

competat realitas, necesse est. Quid inde mirum, quod Spinoza, ex falsa opinione, spatium res ipsas transcendentales conditioni adstringere, atque omnibus, quae in eo conspicua sunt, sublatis, tanquam omnium quae existunt supremam conditionem restare, extensionem essentiale attributum esse duxerit non solum mundi transcendentalis sed et ipsius Dei.

§. 30.

Sufficiat nobis demonstrasse, Spinozismum falsis niti principiis, et sophismata involuerē figurae dictionis, quae non nisi ex Idealitismo critico et reperiri et refutari possunt, et ad Berzelaji systema progrediamur, quod in his, quae sequuntur, versatur principiis:

- 1) *Omnia quae apprehenduntur, non extra nos, sed in nobis ipsis adsunt, sunt enim representationis nostrae.*
- 2) *Repraesentationes non nisi in intellectu oriri et existere possunt.*
- 3) *Hae repraesentationes, seu, sicuti nobis videntur, hae res, quas appercipere cre-*

dimus non ex spontaneitate mentis nostrae eueniunt, bene enim habemus, nos earum autores non esse, non a nobis pendere, his vel illis affici repraesentationibus si oculum aperimus, aliumue sensum, vbiunque velis, dirigimus.

- 4) Sequitur inde, vt hae repraesentationes alio inhaereant spiritui, qui earum medic nostros mouet sensus, et ex vi voluntatis suae actiua, conscientiam nostram ipsius modificat. Ex antecedenti enim patet, quae sentimus non nisi repraesentationes nostras esse, quoniam non extra nos sed in nobis ipsis adsunt, sensationes vero seu repraesentationes saltim in Spiritu dari possunt, ast quoniam intellectus noster earum autor non est, ratio earum sufficiens vt in alio quodam spiritu extra nos existente lateat, necesse est.
- 5) Affirmare, dari materiam, inde absurdum est, et contradictionem inuoluit.
- 6) In quoquis temporis minutissimo spatio spiritus quidam et afficit et mouet sensuilitatem nostram.

- 7) Ex varietate et ordine impressionum ab illo spiritu causatarum sapientia, potentia, nec non clementia huius summi motoris facillime potest colligi.
- 8) Mundus ergo, et omnia quae in eo occluduntur, non nisi idealis mentis nostrae modificatio est. Quod appercipere putas, minimè etiam extra te, à se et' per se existit, sed si impressiones, a quibus affectus es, cogitando deles, nihil omnium, quae videbantur, adest. Existentiae visorum nulla plane competit realitas, si eam excipis, quam illi ipse tribuis, et visa a phantasianis, quae in somnio apparent, non nisi claritatis gradu differunt.
- 9) Id, quod sensus nominare solemus, quasdam designat representationes quasi viuerales, quae in relatione cum infinitis aliis sunt impressionibus, quas verbis determinamus, atque discernimus. Exempli gratia: Oculum aperio, hoc est, representatione afficior, meum oculum esse apertum, quam quidem ideam eo

ipso momento per multae aliae comitan-
tur ideae, quibus conscientia mei ipsius,
seu status meus internus modificatur. —
Edo, dicitur, idea moueor, me alimen-
ta capere, eodemque tempore variae
sensationes, quas verbis gustui tribuo, il-
lam sequuntur ideam, et sic porro.

Quae omnes quidem impressiones,
sive ideae non a nobis pendent, ita ut
non sit in facultate nostra, certis affici
repraesentationibus, si quadam idea pri-
maria fuerim affectus. Subest enim in-
ter ideas nexus quidam nobis ignotus,
Deusque est, qui eas secundum leges
quasdam aeternas nobis submittit. In
nostra facultate saltim est, ex voluntatis
determinatione, imaginatione mediante,
eas reuocandi, licet in hoc loco minori
gaudeant et claritatis et durabilitatis gra-
du, qui quidem minor gradus et clari-
tatis et durabilitatis ad ideas proprio
Marte reuocatas, ab iis, quas accipimus,
discernendas, nobis criterion praebet.

10) Mundus sive Natura, quod ex antece-
dentibus perspicuum est, non nisi ordi-
nem enunciat, in quo Deo bene placuit
nostras

nostras collocare ideas. Itaque in conjunctione, varietate, et harmonia idearum nostra id continetur, quod Naturam nominare solemus. Experientia enim docet, quasdam ideas semper inuicem esse coniunctas, sensationes quasdam semper alias et nouas producere sensationes; In hoc idearum ordine omnis nostra scientia nec non omnes actionum nostrarum rationes versantur, atque determinantur. Exempli gratia: Ignem video, seu idea ignis afficiar, atque ab experientia edocitus bene habeo, hanc ideam aliam involuere sensationem idealem, quam calorem voco, nec non huic rursus nouam inhaerere, quae verbis designata dicitur ardor, qui quidem idearum nexus actiones determinat meas.

Astrognosis et Anatomia pariterque Chemia, omnesque ceterae scientiae quae naturam spectant, non nisi varios ordines seriesque enunciant, in quibus Deus ideas nostras ordinare et collocare bene voluit. Non enim supremo motori, exempli gratia, placuit, ideam ~~78~~ florere nulla alia

interuiente illam τὸς germinare immedia-
te sequi, exque sua sapientia voluit, vt in-
ter has ideas series plurium sit repreesen-
tationum.

Historiae naturalis studium ergo non
nisi attentam animi directionem ad com-
binationem, ordinem et varietatem idea-
rum, quas Deus in nobis producit, enun-
ciat; Physicae systemata sunt quasi Gram-
maticae et Vocabularia harum idearum,
et sistema de quo sermo fuit, omnium
horum systematum clavis est.

§. 31.

Non quidem defuere, qui Idealismi em-
pirici refutationem tentauere, interque alios
Autor libelli: an Enquiry into the Nature of
the human Soul, wherein the immateriality of
the Soul is evinced from the principles of rea-
son and philosophy. Lond. 1745. 8 maj. in
Sect. 2. Volum. II. in Bercelaji oppugnatione
alacerrimum se praestitit; attamen persuasum
est mihi, ex solo Idealismo formalis Bercelaji
materialem à fundamentis posse euerti ac re-
futari.

futari. Quod si enim phaenomena et noumena non ut transcendentaliter diuersa discernis, contrà eadem esse putas, non nisi duo dantur exitus, aut Bercelaium, aut Spinozam ut se quaris, cogeris.

§. 32.

Quod si enim ponamus, inter phaenomena atque noumena plane nullum adesse discrimen, spatio non solum subiectiuam sed et obiectiuam inhaerere realitatem, quis est, qui possit negare; Spinoza, existentiam materiae realem affirmans, et per sophisma figurae dictioonis homini facultatem tribuens, obiecta ipsa apperendi transcendentalia, nullis deinde consequentiis, quas principia, a quibus exierat, inuoluerent, perturbatus, eo tandem peruenit, ut spatium summam atque essentialem conditionem materiae esse contenderet, cui non solum mundus et omnia in eo contenta sed Deus ipse adstrictus sit.

Quae quidem omnia bene praeuidit Bercelaius, bene quoque intellexit firmitatem, subtilitatemque Spinozismi, si obiectua semel

concessa fuerit spatii realitas, quoniam vero Spinozismum ob absurditates, quae ex eo resultant, abhorrebat, aliam et quidem plane nouam iniuit rationem. Ut enim labyrinthum effugiat Spinozisticum, spatio realitatem convenire obiectiuam negabat, ast cum distinctio inter phaenomena atque noumena illi in mentem non veniret, atque igitur spatium conditionem omnium, quae sub sensus cadunt, rerum esse, putaret, cogebatur, qui spatii realitatem affirmare recusauerat, vt quoque rerum, quae in eo continentur, realitatem abneget, et omnia obiecta, quae apprehenduntur non nisi phantasmatata atque illusiones esse duceret.

§. 33.

Iam sufficit ad refutationem cuiusuis systematis, si falsitatem principiorum, quibus nititur, demonstraueris. Sed si etiam ad ea respicias, quae ex Idealismo materiali sequuntur, facillime ex ipso Idealismo critico existentia materiae realis euinci potest. Tempus quoniam formam sensus nostri interni efficit, conscientiam nostram et ipsius conditioni adstringit necessariae, ergo nos non nisi in temporis de-

terminatione nostrimetipsius conscientiae euadimus. Quaevis determinatio in tempore perdurable quoddam requirit in apprehensione, in relatione ad quod perdurable, aliquid in tempore determinari possit, quod quidem in nobis ipsis, sicuti nos intuemur, datum esse nequit, nam id, quo nos modificamur, dicitur representatio, quae iterum perdurable quid requirit, in relatione ad quod earum series et existentia mea in tempore fiat determinabilis. — Cum ergo perdurable illud requisitum in me ipso inueniri nequeat, sequitur, ut extra me realiter existens adsit; Ergo determinatio existentiae meae in tempore, et alia non datur, non nisi existentia rerum vere extra nos existentium possibilis redditur. Quoniam vero conscientia nostrimetipsius in tempore possibilitatem huius determinationis necessario inuoluit, haec ipsa conscientia existentiam rerum extra nos realem tanquam conditionem omnis in tempore determinationis necessario includit, hoc est: Conscientia nostrae existentiae non nisi conscientia existentiae mundi realis possibilis, atque in ea fundata est.

§. 34.

Ex his omnibus, quae diximus, perspicuum nobis videtur, Idealismum materialem et Spinozismum indirecta porrigit argumenta per valida, ex quibus Idealismi critici siue formalis luculentissime demonstrari possit veritas. Quanti inde momenti sit illud discrimen inter phaenomena atque nouemena, quis est, quem lateat. Idealismus materialis ac Spinozismus illam praecipue Idealismi formalis assertionem: Spatum non esse nisi formam facultatis intuendi et saltim veritate realitateque gaudere subiectiva, indirecto probant modo; Quod vero alterum Idealismi critici caput attinet, quod scilicet intellectus aequa sensuitalitas quibusdam formis a priori in omnibus suis conditioni adstrictus sit functionibus, quoque Systema Spinozae hoc respectu, quoniam in eo principiis intellectus etiam transcendentalia subiiciuntur nouemena, absurditatibus quibus exit, Idealismo formalis argumento indirecto est, hoc vero in loco Scepticismus Humii prae reliquis duobus Systematibus validissima pro veritate Idealismi critici argumenta suppeditat indirecta.

§. 35.

Tertium ergo Systema philosophicum, ex quo Idealismus formalis indirecte probandus est, dicitur Scepticismus, qui in his, quae sequuntur, principiis continetur:

- 1) Omnis cognitio ntitur experientia. Nihilum est in intellectu, quod non ante fuerit in sensu.
- 2) Nullus itaque datur conceptus, nec vlla notio, quae non quadam impressione exorta nec in illa fundata sit. Affirmare, quasdam notiones nobis esse innatas, siue a priori in intellectu latere, absurdum est; Sublata enim experientia plane nulla nobis cognitionis materia data est.
- 3) Fides atque persuasio, quae in vincitate claritateque versantur conceptuum, nullis principiis rationalibus, sed consuetudine, educatione et experientia nituntur.
- 4) Omnis evidentia et certitudo rationalis ad solam conceptuum analysin ex principio

pio contradictionis est restringenda; Sequitur inde, non nisi analyticis propositionibus in quibus praedicatum et subjectum identitate combinantur, inesse certitudinem.

5) Omnes ergo propositiones, quarum veritas ex principio contradictionis non patet, certitudine carent. Experientiae enim nullo modo necessitas inhaeret atque vniuersalitas, in quibus versatur certitudo, et omnes propositiones non identicae ab experientia sunt abstractae.

6) Principium causalitatis est non identicum, ergo empiricum, et ex eadem ratione incertum. Effectus enim non analyticamente inhaeret causae, ita ut posito A, necessario sequatur B ex principio contradictionis. Nullam enim contradictionem inuoluit assertio: A in hoc momento est, et B *non* adest in sequenti. Bene quidem experientia de eo quod fit, et factum est iudicare potest, sed de futuro apodictice decernere, nullo modo ei convenit. Omnis nostra empirica cognitio est

est limitata, dicere quidem possumus:
Solere B euenire, si ponitur A, quod ve-
ro necessario euenire debeat, nullo mo-
do demonstrare valemus, cum tota expe-
rientialiae sphaera nobis minime data sit,
nosque inde ignoremus, vtrum dentur
exceptiones annon?

7) Nexus cognitionum nostrarum, exempli
gratia, causalis, minime nititur *nexus*
quodam reali obiectorum appercep-
tum, qui quoque sublato intellectu ad-
huc adefset, sed in nobis ipsis et in natu-
rae nostrae principio subiectuo fundatus
est. Cum enim omnes res, sensibus ob-
vias, ob formalem interni sensus condi-
tionem vel simul vel in successione ap-
prehendas, eas associare soles, quas
semper in combinatione animaduertis,
atque inde exoritur habitus quidam, vt
omnia in *nexus* vel mathematico vel dy-
namicō cogites. Dari itaque legem
quendam formalem, concedimus, cui
inest omnis combinationis ratio, sed,
quod mirum videtur, omnia in mundo
in eo ipso ordine eueniunt, in quo re-

præsentationes nostræ coordinatae sunt, ita ut persuasio de obiectu veritate realitateque illius formalis principii magis magisque augeatur. Ast quoniam omnem cognitionis materiam experientiae debemus, et in hac nulla prorsus ratio necessarii cuiuslibet nexus inueniri potest, sequitur, persuasionem nostram non nexu reali rerum ipsarum sed subjectua quadem niti mentis nostræ forma, quae principium dicitur consuetudinis. Hanc vero illusionem seu hoc sophisma figuræ dictionis intelligere quidem possumus, sed plane destruere non valemus.

- 8) Experientiae sphaeram transuolare nullo modo possumus, cum omnes conceptus, qui intellectui insunt, non nisi in relatione ad illam, realitate gaudeant, eorumque veritas in intuitibus, qui ipsis respondeat, versetur. De eo quod sit materia, substantia, anima, Deus, plane ita nihil habemus; nam nihil est in intellectu, quod non antea fuit in sensu. Omnes ideæ, quae transcendentalia at-

tingunt obiecta, pro meritis itaque phantasmatis aestumandae sunt.

9) Quod si credas, rationem esse facultatem, ipsa representationum nostrarum substrata secundum leges combinandi transcendentales, quibus a se subiecta sint, plane nulla datur ratio. Talis enim facultas obiecta coniungeret, quorum representationes in animo nondum erant combinatae, nec non ea, quae nunquam in intuitione dari possunt, quod contradictorium est. Ratio saltim facultatem, impressiones ex formalibus combinandi principiis, vel quasi instinctum enunciat, impressiones, quae olim, uno eodemque tempore statum internum, seu conscientiam nostram et ipsius modificabant, vel quoad sua criteria commune quoddam habent, associandi.

10) Cum itaque neque sensus neque intellectus ipsa obiecta attingant transendentalia, omnisque cognitio nostra non nisi in impressionibus versetur, de rebus ipsis plane nihil habemus, et omnis hu-

mana cognitio idealis atque illusoria
quadit.

§. 36.

Inter omnes quaestiones, quae cognitionem spectant nostram, illa de cognitionum origine absque omni dubio maximi est momenti. Quidam, qui nempe ad Aristotelis domum pertinent, crediderunt, omnem cognitionem esse a posteriori, vel empiricam; alii Platonis sententiam professi sunt, et cognitiones quasdam a priori innatas dari, affirmauerunt. Lockius, Humius et fere omnes eorum aequales innatas plane negabant cognitiones, e contrario omnem cognitionem ab experientia sola originem ducere, omnesque conceptus non nisi imagines esse impressionum, sibi persuasum habebant. Quod si quis in hoc principium consentit, ut scepticismum amplectatur, necessario cogitur. Omnia enim Humii effata bene optimeque in illo fundata sunt principio, ita ut quaelibet tentata refutatio, quae non fundamentum sed aliam scepticismi partem attingit, plane inanis euadere debeat.

Non enim defuere, qui Huius systema euertere conati sunt, exempli gratia: Oswald, Beattie, Priestley et alii, sed quoniam principium, a quo Huinius exierat, ipsi adoptabant, etiam propositiones finales refutare non poterant. Appellabant quidem sensum communem et applausui vulgi sane confidebant, sed quod experientia ipsa nulla continet criteria vniuersalitatis et necessitatis, nec ullo modo, nisi ex ratione firmitatem stabilitatemque aſſertio potest, semper in circulo contra Huiniū disputabant, qui quidem longe aberat quomodo negaret: dari nexus quendam necessarium inter ideas, quem rebus ipsis supponimus apperceptis, sed hunc nexus non objectuum, sed subiectuum ac idealem esse, putabat.

Experientia nullo modo de iis quae necessariò coniuncta esse *debeant*, dictatore decernere potest, et si ratione ipsa edocti sumus, experientiae nullam inhaerere *posse* necessitatem vniuersalitatemque, sensus communis rationi cedere debet. Nihilum itaque efficere poterant, qui obiiciebant, notiones causae atque effectus analytice se inuicem includere, et

identitate esse coniunctas; negare enim, his notionibus inherere nexus quendam necessarium, Humio in mentem non venerat, sed realem veritatem et obiectuam huius nexus in dubium vocandam esse, censuit.

Quidam denique prouocabant ad necessitatem realitatis nexus causalis pro firmitate cognitionis empiricae, sed contra Humius,
 „non verisimile esse,“ dixit, „naturam credi,“ disse hoc principium regulatum tam necessarium syllogismis fallacibus rationis nostrae,
 „quae in operationibus lentissima progreditur,“ suis, in prima aetate prorsus latet, et in quo libet vitae nostrae spatio tot erroribus atque fallaciis obnoxia est. Econtrario a naturae prouidentia exspectandum est, hanc benignam matrem tam necessariam functionem rationis nostrae quodam muniuisse instincto formaliter, qui in omnibus operationibus, quae illi convenienter, certissimus est, a primo viuendi ac cogitandi momento appareat, et ab omnibus artificiosis syllogismis rationis plane liber est.“

§. 37.

Quodlibet sistema non nisi duplice methodo refutari potest; vel cum demonstretur, combinationem partium singularium internam contradictionem inuoluere, consequentias ex principiis non posse deduci, ideoque sistema quoad formam esse vituperandum; vel cum ostendatur, totum sistema principio quodam prorsus falso niti. — Quod primam attinet methodum, semper dubia est, saepius enim, a quibus quoad formam aberrauerat, emendare potest systematis auctor; altera vero methodus eo ipso momento, quo principii falsitas demonstrata fuerit, liti facit finem.

Omnes, qui hucusque in scepticismum facti sunt impetus, prima flebant methodo, nullam enim Humii aduersarii suspicionem conferrebat in principium, quod scepticismo est fundamento, sed ex eadem quoque ratione omnes impugnationes inanēs euadere debebant, cum Humii sistema quoad formam nullo modo reprehendendum esse, neminem fugiat, qui, ut intelligat, ei operam dedit, neque defuere philosophi, qui, cum pondera scepticismi bene examinauissent, publicē pro-

fessi sunt, eum nullis refutari posse argumentū; *) id quoque verum est, si principium, quo fundatus est scepticimus, semel fuerit concessum,

§. 38.

Attamen altera adhuc datur methodus, qua quidem ante Kantum nemo usus est, qui scepticismū refutaret. Quod si enim probari potest, totum systema scepticismi Humiani falsis substructum esse fundamentis, eo ipso destruitur systema. Principium autem fundamentale, quo ntititur scepticismus, vt supra videntur, est: Omnem nostram cognitionem ab experientia esse abstractā, nullasque dari notiones a priori et ab omni experientia liberas. Bene enim Humius intellectus, omnia, quae statim modificant nostrum internum, sensus afficere debere; quae quidem obseruatio efficiebat, vt omnes conceptus sine discrimine meas impressionum imagines esse, crederet. Impressiones autem siue intuitus singulares tantum enunciant repraesentationes, ergo, con-

clu-

*) vide ERNST PLATNERS Gespräche über den Atheismus, Leipzig 1783, 8. S. 262.

cludebat, etiam ut omnes conceptus singulares tantum repraesentationes enunciant, necesse est. Quam ob causam nullus conceptus experientiae sphaeram transuolare potest, et etiam illi conceptus, qui minime videntur ad experientiam pertinere, ut notiones causae, substantiae et necessitatis, impressiones tantum esse debent, nam nulla plane datur cognitionis materia, sublata experientia.

Quod enim Humio et Bercelaio communne est, in ea versatur assertione, res perceptas non extra nos, sed in nobis ipsis adesse, nullamque dari rationem, id, quod *repraesentationibus* inhaeret subiectiuis, etiam rebus, ad quas relationem habent repraesentationes, supponendi. Humius vero in eo a Bercelaio discrepat, quod disquisitionem, vnde nobis veniant impressiones, et quid sensus afficiat nostros, silentio praeteruerit altissimo. Sibi enim persuasum habebat, illud, cui ratio impressionum insit, plane absconditum esse et problematicum, omnem philosophiam ab impressionibus incipiendam esse, et eorum rationem, quae nos prorsus lateret, transire debere.

Ast verum quidem est, internam possibiliatem mundi phaenomena et facultatis eum cognoscendi, subiecto cuidam inherenteris, nullo modo explicari vel demonstrari posse, attamen representationes subiecti omnino nouam non solum admittunt sed etiam requirunt disquisitionem. Facta enim impugnari non possunt, atqui in nobis ipsis variis reperiuntur conceptus, quibus nihilum inheret, quod ad sensationem pertineat, quibusque ob eandem rationem nulla plane respondet impressio, qui denique non materiam, sed cognitionis formam attingunt. Hae notiones, quae non nisi modum, seu formales conditiones continent, in quibus varium quoddam a sensibus perceptum et intuitum, sit ordinandum et combinandum, necessitatem atque universalitatem inuoluunt, quae ipsa attingunt obiecta, ita ut omnis veritas atque realitas cognitionis empiricae non nisi his notionibus reddatur possibilis formalibus. Facultas enim, qua nos sumus induti, formis quibusdam, quae subiectuam possibilitatem cognitionis efficiunt, conditioni restricta est, nec ullum obiectum datur, quod non in relatione ad has formas cognoscere debeamus.

§. 39.

Per sensus enim ea apprehendimus obiecta, quae extra nos existunt, et ab omnibus, quae obiectis conueniant, praedicatis abstracte possumus, solo spatio excepto, quod obiecta occupant. Qui fit, vt omnia obiecta et spatio absque difficultate remouere, spatii vero repraesentationem nullo modo extinguere valeas? — Nulla plane alia ratio datur, nisi quod spatium subiectiuam efficit sensualitatis nostrae conditionem, et necessitas atque vniuersalitas, quae legi conuenit, vt omnia, quae extra nos animaduertimus, in spatio cognoscamus, relatione nititur, quam res extra nos positae ad nostram habent facultatem cognoscendi, ita vt spatio sublato nulla nobis obiecta data sint,

Eadam ratio et temporis est. Cum enim quamlibet rem perceptam, qua sensus modificatur internus, vel simul vel in successione animaduertamus, et quidem res perceptas, nullo modo autem temporis ipsius repraesentationem cogitando delere possumus, ex necessitate absoluta, omnes impressiones temporis conditioni restringendi, concipitur, et tem-

pus conditionem formalem esse facultatis nostrae intuituæ.

§. 40.

Quod quidem de sensualitate dictum est, et de intellectu valet. Observamus enim, omnia, quae in mundo phaenomeno sunt et fiunt, vel simul, vel in successione esse ac fieri. Intellectus, sive facultas iudicandi, principiis quibusdam nititur, quae ipsius intellectus possibilitatem continent internam, et ex his legibus suis formalibus obiecta combinat apprehensa. Cum itaque intellectus noster nullam aliam spectet finem, quam, ut ordinet combinetque obiecta, et obiecta non nisi ex principio causalitatis combinari possint, sequitur, obiecta etiam secundum has formales leges, quae intellectui insunt, combinata fore. Intellectus in functionibus suis secundum principia subjectiva operatur, hisque principiis ita vtitur, quasi ipsa obiecta eorum conditioni essent restricta. Quaevis enim facultas cognoscendi, quae materiam cognitionis ex se ipsa producere nequit, cui ergo obiecta debent dari

ri, haec obiecta nullo alio modo cognoscere potest, nisi ex relatione, in qua ei data sunt, et ex formalibus conditionibus, in quibus ei sunt cognoscibilia.

§. 41.

Necessitas itaque, quae omnibus inhaeret rerum apperceptrum combinationibus, omnino ex origine sua est subiectiva; cum autem non nisi principia intellectus experientiam efficiant, et si intellectum eiusque conditiones formales cogitando extinguis, nulla cognitio possibilis fiat, non omni realitate sunt destituta. In facultate nostra cognoscendi ergo eiusque formis ratio obiectivae realitatis et Matheſeos et Physicae purae latet; Quod vero ea attinet obiecta, quae sub sensu non cadunt nostros, omnino Humius de eorum cognoscibilitate merito dubitauit.

§. 42.

Praeter Scepticismum, Idealismum materialem et Spinozismum aliud adhuc datur argumentum indirectum pro Idealismi critici veritate, quod quidem in ratione ipsa nostra eiusque principio formalis latet, de quo vero alio loco disputatur sumus.